Fragmentarium



hodie mecum eris in paradiso. Si enim tunc fuit in paradiso, quomodo
apud inferos? Sed potest apud inferos consistendo potuit esse in paradiso. Non lo-
co quod dicitur paradisus, sed in requie. Nam sic sol radiat in inmundis locis, tamen
est mundus, sic anima Christi et latronis penitentis ad inferos descendit ille-
sa. Qui autem passus est. Tertia die resurrexit a mortuis. Sed videtur auctori-
tas obclamare quod ait anathema sit qui dicit Christum denuo hominem assumpsisse.
Unde quidam occasionem sumentes aiunt quod Christus non desierit homo esse, sed et post mortem
in illo triduo ut aiunt fuit homo non vivens sed mortuus. Sed attende quod ad
hoc quod perfecto sit homo, sufficit infusio anime humane in corpus humanum. Ergo sicut
compositione anime ad corpus perfecto sit homo, sic separatione anime a carne desinit esse homo.
Ad hoc autem ut verbum sit homo, duo concurrunt: infusio anime humane in corpus hu-
manum et verbi unio ad utrumque tam corpus quam animam. Nam si anima esset corpori in-
fusa nec verbum esset eis unitum, nec verbum esset homo, sed homo constaret ex anima et cor-
pore. Item si verbum esset unitum utrique nature nec anima esset infusa corpori,
sed esset in celo corpus vel in terris, verbum non esset homo, nec alius homo constaret ex il-
la anima et illo corpore. Unde constat ad verbi incarnationem hec duo concurrere:
verbi ad utrumque unionem et anime in corpus infusionem. Sed ad hoc ut non sit homo non
oportet concurrere privationem utriusque unionis verbi et infusionis anime, sed suf-
ficit alterutra ad hoc ut verbum non sit homo. Pauciora enim sufficiunt ad
perimendum quam ad construendum. Unde ars: Facilius est destruere quam construere. Sed
in illo triduo anima erat separata a corpore, licet verbum a neutro esset sepa-
ratum. Ergo verbum tunc non erat homo. Sed resurgendo iterum cepit esse homo; non tamen de-
nuo assumpsit hominem, id est humanam naturam, scilicet corpus et animam. Ex quo enim
verbum carnem et animam assumpsit, neutrum a se deposuit, licet animam et carnem
separaverit. Licet ergo soluta sit anime et corporis coniunctio, tamen soluta non est ver-
bi ad utrumque unio. Unde credimus Christum denuo fuisse hominem, et non denuo
assumpsisse hominem. Fuit autem primitie resurgentium, quia non Lazarus prius. Tamen
resurrexit moriturus, sed non Christus. Item priores resurrexisse videntur illi de quibus in
evangelio legitur: statim cum dominus expirasset, velum templi scissum est a summo
usque deorsum, et lapides scissi sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant re-
surrexerunt. Sed est anticipatio. Tertia enim die resurrexerunt cum domino. Resur-
rexit ergo dominus et post resurrectionem

## Ascendit ad celos sedet ad dexteram

Ascendit ad celos. Corpo-
raliter enim videntibus discipu-
lis elevatus est in celum nubi-

MAN.

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, Latin 11411, 13r – Commentarium in symbolum Athanasii (https://fragmentarium.ms/view/page/F-h8r2/3000/33517)